



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



PSALMUS II.

Caret titulo, sed Davidi tribuitur ab Apostolis Act. 4. : est manifesta de Christi Regno prophetia, ut patet ex Act. 4. & 13., item ad Hebr. 1 & 5.

¶ 1. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?*

David prædicat, persecutiones contra Messiam exorituras, & eum tamen felicissimè regnaturum. Incipit ab increpatione persecutorum; & sensus est: frustra conati estis ejus Regnum impedire. Gentiles fremuisse dicuntur, quasi animantia rationis expertia; populi Judaici meditati esse inania, quia ipsi consilium inierunt, ut Jesum perderent.

¶ 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.*

Dicit, fremitum non cepisse à plebe, sed à capiribus, seu Regibus, & Principibus. Primus infremuit Herodes Rex Math. 2., qui cum alienigena erat, inter gentes reputatur. Hunc secuti sunt Principes, & populi Judæi, nam *turbata est omnis Hiero-*



Hierosolyma cum illo. Tempore Passi-
onis insurrexit alius Herodes, Pilatus cum
Judæis; post Passionem alii Reges, seu
Imperatores Ecclesiam Christi persecuti
sunt. *Astiterunt*, opposuerunt se Christo;
Convenerunt in unum, simul ad capien-
dum consilium, *adversus Dominum*, De-
um Patrem: licet enim sub colore Glo-
riæ Dei Christum persequerentur; cum
tamen hic se fatiis Dei Filium ostendebat,
oppugnando eum, Deum verum oppug-
nabant.

*v. 3. Dirumpamus vincula eorum, &
projiciamus à nobis jugum ipsorum.*

Loquitur in persona Regum, ac
Principum impiorum, cur scilicet contra
Christum convenerint, nempe ne coege-
rentur servare legem Christi contrariam
sensibus carnis, & humanæ prudentiæ.

Dirumpamus vincula, h. e. non si-
namus nos subjici legibus, & imperio eo-
rum, h. e. Messiæ, & Domini, qui misit
illum.

*v. 4. Qui habitat in Cælis, irvidebit
eos, & Dominus subsannabit eos.*

Dicit, frustra persecutores oppug-
nare Christi Religionem, quæ à Deo est,
cui nemo resistere potest.

Qui



Qui habitat in Cælis, qui est super omnes, & omnia cernit, irridebit eos &c., per signa, & prodigia, per Martyrum patientiam, per conversiones gentium &c. ita illos confundet, ut omnium irrisioni, & subsannationi pateant.

v. 5. Tunc loquetur ad eos in irâ suâ, & in furore suo conturbabit eos.

Explicat modum, quo persecutores sint irridendi &c. *Loquetur ad eos* non verbis, sed verberibus, & pænis gravissimis &c. Dicitur Deus *irasci, furere*, non propriè, sed metaphoricè, cum scilicet severè punit, & quidem punitione ad æternam salutem non profuturâ.

v. 6. Ego autem Constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.

Loquitur in personâ Christi: Adversarios meos non solum Deus irridebit, puniet; sed nec Ego eorum minas timeo: quia non ab hominibus, sed à Deo ordinatus sum Rex super Sion, h. e. Ecclesiam, quæ est civitas in monte posita, & cujus typus fuit Jerusalem, cujus pars præcipua, & magis à Deo dilecta, & sanctificata est Sion. Hæc autem Ordina-

tio



rio mea in Regem constat ex decreto Dei, quod ego prædicabo.

v. 7. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Hoc est initium, & fundamentum decreti divini: nam Christo debetur omnis potestas in Cælo, & in terrâ, quia est verus, & naturalis Filius Dei. Porro potest hic triplex sensus literalis concurrere: hodie, h. e. in die æternitatis genui te Deus Deum; & hodie, h. e. in die natalis tui secundum carnem, genui te, seu feci, ut esses Deus - Homo sinè femine viri, sinè corruptione Matris, sinè labe peccati; & hodie, h. e. in die resurrectionis tuæ genui te, seu feci divinâ meâ virtute, ut redires ad vitam, eamque immortalem, & gloriosam.

v. 8. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Loquitur in personâ Dei Patris, & sensus est primò de potestate Christi in omnes gentes, etiam infideles, quæ ipsi tanquam Filio naturali, & virtute divinâ incarnato, atque à mortuis excitato jure debebatur. Sensus est secundò de Reg-



no Christi Spiritali, seu Ecclesiâ: hoc enim non erat concludendum finibus Judææ, sicut Regnum Davidis, & Salomonis; sed extendendum per omnes gentes, & occupaturum omnia Regna Mundi, juxta Dan. C. 2.

¶. 9. *Reges eos in Virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos.*

Significatur potestas Christi in Ecclesiam, & in omnes omnino homines summa, & justissima. Per *Virgam ferream* intellige judicium rectissimum, inflexibile, cui resisti non potest. Illud *confringes*, non significat actum, seu Christum confracturum omnes gentes; sed potestatem, seu subjectas ei futuras omnes gentes, ut possit eas pro arbitrio confringere, sive misericorditer confringendo in eis infidelitatem, & peccata, & formando ex vasis contumeliæ vasa honoris; seu justè, & severè, confringendo eos æternis pænis ob demerita,

¶. 10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.*

Hortatur Reges terræ, à quibus populi dependent, ut, quandoquidem frustra nituntur resistere Christo Supremo Regi



Regi omnium Regum, sponte illi sub-
jiciantur; & quia ordinariè ex pravo ju-
dicio sequitur pravus affectus, primò hor-
tatur, ut corrigant judicium, intelligant
veritatem, eruditionem suscipiant; de-
inde.

Ÿ. 11. *Servite Domino in timore, &
exultate ei cum tremore.*

Horretur eos, ut incipiant Christo
servire, eum diligere, & revereri. Mis-
cet amorem cum timore. Timor in Scrip-
turis passim accipitur pro pietate, & re-
verentiâ filiali: Sic Isa. II. de Christo di-
citur: *Replebit eum Spiritus timoris Do-
mini*; in Christo autem non fuit timor
servilis, sed filialis reverentia.

Ÿ. 12. *Apprehendite disciplinam, ne
quando irascatur Dominus, & pereatis
de viâ justâ.*

Seſtamini puritatem doctrinæ, ne-
quando irascatur in impios, & rebelles is,
cui serviendum est cum timore, & vos
exterminemini de viâ justitiæ. Hæc est
gravissima pœna Regum, si Deus illos,
ob eorum peccata tradat in sensum repro-
bum, E. g. sinendo, ut decipiantur à ma-
lis Consiliariis, & faciant multa mala, ob
quæ



quæ tandem pereant, ut patet de Pharaone, Roboamo, Achab &c.

ŷ. 13. *Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.*

Concludit, quàm bonum, & utile sit Christo servire: ejusmodi enim in die judicii (qui erit dies iræ, non Misericordiæ) qui non longè abesse potest, poterunt habere fiduciam. *Beati, qui confiduat*, non quòd solùm fiducia sufficiat; sed quia vera fiducia oritur ex verâ amicitia.

PSALMUS III.

Titulus, & Argumentum: *Psalmus David* (τὸν, sive Davidi, subintellige: à Deo inspiratus) *cum fugeret à facie Absolon, filii sui.*

Orat Propheta pro liberatione suâ à persecutione Absolonis. Psalmus etiam debet intelligi de Christo, cujus figura fuit David; vide jerem. c. 30. Ezech. c. 34. Ose. c. 3.; ubi Christus etiam David appellatur.

ŷ. 1. *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.*

B

Que-